

Ut possint longam de nomine ducere vitam,
 Atque adhibere dies vite ipsa vocabula rentur.
 Hic Durant, hic Guot, Vitalis dicitur, Hartman.
 Hoc tantum vivit, tanquam nulli nihil addas,
 Quantum quod sequitur credas hoc profore tantum.
 Imprime puncta super puncto, non linea crescit.
 Non magis inde ferax, si copia vacca vocetur;
 Si multralis, eo non plus tibi lactis abundans.
 Non tamen his fruimur quamvis optata loquamur.

(41a) De lupo modo monacho modo populari.

Discurrens obiter lupo ad predam properabat
 Et nactus pisces, quos ventri indulsit edaci,
 Reddidit elatum congesta parabilis esca
 In tantum ut monachum sese jactaret habendum.
 Inde abiens pernas invenit et insuper edit.
 Cur a proposito ruat atque repente recedat,
 'Parcite in hoc mihi, queso', percunctantibus inquit.
 'Nunc monachus, nunc sum parto popularis in esu,
 Ut lepidum facilemque vocent ad edenda ministri.
 Non egeo ut lauti proceres pistore cocoque.
 Talibus insoliti talem docuere parentes
 Ut nunquam fastidia delitiosus amarem.
 Non vescor coctis, invisa meis mora furtis,
 Cruda meum magis hoc guttur stipendia poscit'.

(44a) De ovo a conjugibus comesto.

Hoc ritu quidam cum conjuge vixit apud nos:
 Inter prandendum cum ferrent ova ministri,
 Servorum dominus meditullia sola voravit,
 Quæ vitans uxor callosa adamavit in ovis.
 Si sic consumunt, quæ spes tibi pendet in ovo?
 Expectare boni quid habes ubi nulla supersunt'.

(45b) De Waltero monacho brachas defendente¹.

Mandant Waltero fratres non tradere brachas,
 Omnibus ablatiis tacito defendere solas,
 Dum contingat item fortes transire per hostes.
 Interea datur experientia militis hujus,
 Mittitur imperiis ad certa negotia fratrum.
 Fors fuit, ignorans in prorumpentibus hesit
 Hostibus et faleras et equum tollentibus una,
 Magistiam, cunctos habitus, juxtaque cucullam.
 Non renuit neque contendit facere, omnia sumunt.
 Tandem de braciis solvendis tendere coëpit.

1) Vgl. Germania XVIII, 353.